



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disciplina & Institutio Studiosæ Iuuentutis Tum Pietati &
Eruditioni tum formandis moribus seruiens**

Coloniae, 1648

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55193)



Th. 3244.

J I

L.



Ex donatione Willhelmi
Froeseni Bibliorum
in Calimontis fassa
Bibliothecae Cantuar
anno 1653 in fassa
Remigii pro Nouem

DISCIPLINA
&
INSTITVTIO

Studiosæ Iuuentutis

Tum Pietati & Eruditioni
tum formandis moribus
seruiens.

Ex optimis quibusque auctori-
bus collecta, & nunc de nouo
bono publico edita.



Colonia,

Apud **Wilhelmum Friessera**
sub signo Archangeli **Gabrielis**
in platea vulgo **Tranct**
998. 1648.



QVOMODO

MANE SVRGEN- DVM.



Tenuant, vt inquit O-
uidius, vigilatæ corpora
noctes.

Quare in primis haben-
da cura somni, ne aut
plus quàm oportet tenuior sit
sommus, aut quàm expedit lethar-
us.

Septem horis dormisse, etiam puero
satis est.

Surgens itaque manè primùm ab
ipso lecto, in nomine patris, & filij
& spiritus sancti, diei auspicaberis
initium, & dominica oratione
commendabis te CHRISTO.

Gracias ages, quòd eam noctem vo-
luerit esse prosperam tibi.

A 2

Deinde

Deinde precaberis, vt diem illum
illam totum tibi fortunet bene,
ne impingas in peccatum.

Mox veniens in conspectum, felicem
diem precaberis parentibus.

Inde capillitium comabis, manus &
vultum lauabis, vt quàm primò
te recipias ad ludum.

Ante ingressum, spiritum suum vt
tibi largiatur CHRISTVS, Ora-
bis: quia citra illius opem, frustra-
neum est quod tentatur.

Interim tamen sic stude, quasi nihil
sit ille auxiliij laturus, nisi graui-
ter laboranti.

Puero præcipuè curæ sit pietas, quæ
est rectus DEI cultus, qui consistat
fide, amore, spe erga DEVM in-
dubitatissima.

*De diligentia adhibenda in
ludo.*

Libenter auscultata.

Et quod agis, toto pectore agito.

Responde verecundè.

Praua non mordicè confuta, sed
verecundè.

Studiosae Iuuentutis. §

Ante omnia caue ne meritiò vapu-
les,

Ne quid dicto factoue, vel præcep-
torem offendas, vel sodales tu-
os.

Disputantem contrate magis doce
quàm vince.

Lectiōe assidua, pectus tuum bi-
bliothecam fac Christi.

Ab infantia disce sacras literas.

Pro lectiōe quotidiana pensum
fixum habeto.

Neque antè somno indulgeas, quàm
præclaris aliquot sententijs pe-
ctoris calathum oppleueris.

Interdum si quid de pensio lectiōis
omissam, mulctam tibi iniungi-
to.

Disce certis quibusdam ingenijs af-
suescere & inniti, quæ exprimas.

Probatiores autem legito semper.

Non abscedat dies, in qua non ali-
quid adicias ut melior fias.

Nam eloquentiæ tantum studere, ut
eruditione doctior fias, non me-
lior, diabolicum est.

A 2

Pro.

Prodest eloquentia, si virtus fuerit
magistra.

Et mores dicentis sunt qui per-
dent, non oratio.

Autores quibus paratur eloquentia
sunt Cicero, Terentius, sed et
scenitate expurgatus, Gellius
Quintilianus, Sallustius. His pre-
cipue ut principibus eloquentia
insistendum.

Terentium quosdam audio contem-
nere, & vetare ne pueris prelegatur,
sed eos qui nunquam assentantur
sunt Terentium.

Neque nos vnquam passim & ab-
que delectu omnes poetas pre-
bavimus.

In disciplinis quoque liberalibus,
Item in Geographia, historijs, &
in studijs linguarum, convenit
saltem prima elementa attingere
in pueritia sed de hoc alius.

De reditu ex Ludo.

Dimissus à ludo, domum propera-
rurus, nec in platea moram fece-
ris.

Domini quid est obsequij præstan-
dum parentibus, diligenter obi.

Quod si vacat tecum reperere quod
prælectum est in sekola, repete.

Nihil enim in vita preciosius tem-
pore.

Cogita enim quod irrecuperabile
est, & perit, & quod transigitur.

Vbi hora ingruerit prandij, mensam
adornato.

De apparatu Mensæ.

Mensam in tempore adornato. Sed
ante apparatus, pocula diligen-
ter mundato.

Mensæ primùm superponitur map-
pa.

Indè circulus æreus.

Proximè salina.

Post hæc orbes.

Ad postremum panis.

De poculorum appositione patriam
imitare. Nam hic variant regio-
nes.

Consecratio mensæ ex Chrysostomo.

Benedictus DEVS qui me pascis
iuventute mea, qui cibum præbes
omni carni, reple lætitiâ & gaudio
corda nostra: ut affarim quibus
satis est habentes, abundemus in
omne opus bonum in CHRISTO
IESV domino nostro, cum quo tibi
gloria, honor & imperium, cum
sancto Spiritu in omne ævum.
Amen.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen, &c.

Alia consecratio brevis.

Quicquid appositum est, & quicquid
apponetur, felix ac sacrum
esse iubeat, qui sua benignitate
pascit vniuersa. Amen.

De Remotione mensæ.

Eodem autem modo quo apponitur,
ita & remouetur mensa.
Orbes colligentur primum.

Studiosae Iuuentutis. 9

Post haec salsamenta & sal.
Inde caseus vel quicquid aliud est
ἄρτυρα, id est, secunda-
rum mensarum.

Ad vitium vna cum pane remoue-
bitur & mappa.

*Hymnus & gratiarum actio post
sumptum cibum.*

Gloria tibi domine, gloria tibi san-
cte, gloria tibi rex: quoniam de-
didisti nobis escas, imple nos gaudio
& letitia in spiritu sancto, ut in-
ueniamur in conspectu tuo accep-
tabiles, nec pudeamus, quando
reddes unicuique secundum ope-
ra sua. Amen.

Pater noster qui es in caelis, &c.

Alia gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater coelestis,
qui tua ineffabili potentia condi-
didisti omnia, tua inscrutabili sapi-
entia gubernas vniuersa, tua in-
exhausta bonitate cuncta pascis ac
vegetas, largire filiis tuis, ut ali-
quando tecum bibant in regno
A 3 tuo

quo nectar illud immortalitatis
quod promissisti, ac preparasti
re diligentibus te per IESUM
CHRISTVM. Amen. Pater noster

De gestibus in Ministerio ministrandi.

Erectis & compositis pedibus
solicite animadvertens, ne de
quid. Et cum infundendum, sicut
quid porrigendum, apponendum
aut tollendum, ciuilitate id feceris.

Amandatus aliquò, reditum man-
ra.

Ante & post epulas DEO benedicat,
& consecrationem recitabis.

Astans non turbabis, vel interturba-
bis aliorum sermonem: sed inter-
rogatus, breuiter respondero.

Cantharos & vasa ne per obliuio-
nem confundas, vt alterum fun-
das pro altero, si varia sunt vina.

Salis ne obliuiscitor.

Scissum vel confractum, mensa ne
apponito.

Interventu sub coenam aduigilato
attentè pro emungendis lucernis,
& no

& ne quid foedi odoris in nases re-
doleat conuiuantium.

Emungens ne extinguito.

Sed nec affuesces etiam quicquid de
mensa remotum est, vel recondi-
tum domi habetur, abligurire.

Atque gratis, & sublatis omnibus, si
quid vacat, lusu quoquam honesto
animum laxa cum sodalibus, do-
nec hora reuocet in ludum à lu-
su.

*De moribus obseruandis in con-
uiuio.*

Si autem contingat ut ipse quoque
mensæ accumbas, hæc obseruabis.

In primis unguis præcisos habeto.

Manus lauato.

Erectus accumbito.

Hospiti collocanti acquiueris.

Ebrietatem fuge.

Sobrius esto.

Sic præbebis hilarem te, ut semper
memineris quid deceat ætatem
tuam.

Postremus omnium admoueto ma-
num patinæ.

Si quid datur lautius, recusato modestè.

Si instabitur, accipe, & gratias age. Mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti.

Alterius tamen vxori, marito assistente, nihil reddideris.

Similiter principi, aut magnati nihil reddideris.

Parenti, amico, cognatis licet frangere & distribuere quæ optime videntur.

Si quid lautius ministratur, vt epas piscium, & alia quædam, parcius gustaueris, & reliquum distribuas.

Si quis præbiber tibi, hilariter illi benè precator: sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admove to cyathum labijs.

Arride loquentibus.

Ipse ne quid loquere, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone vultum quasi non intelligas.

Ne cui in mensa obrectato.

Ne cui semet ante ponito.

Ne iua

Ne tua iactato.

Ne aliena despicias.

Esto comis erga tenuis fortunæ so-
dales.

Deferto neminem.

Ne sis lingua fatili.

Ita fiet, vt sine inuidia laudem inue-
nias, & amicos pares.

Si videris conuiuium esse prolixius,
precatu veniam, ac salutatis con-
uiuii subducito te à mensa.

Panem pectore ne proscideris.

Digitulos, proscindens cultro, ne ap-
posueris.

Quæ ante & iuxta te posita sunt,
edito.

Decepturus ex catino quippiam,
summo cultro comprehendito.

Ne vt sus effundas te supra cibum.

Ne confundas vel turbaueris, præ-
sertim digitis, quæ posita sunt in
catino.

Oua manducaturus, panem conscin-
dito fistillatim prius Verùm ne
quid præterfluat, curabis.

Maturè edes ouum.

A 7

Testas

Testas non contractas in catione
reijcito.

Inter edendum ouum, non potabis
Commesturus, thoracem praefere
bis ne commacules.

Piper quoque edens, digitos non
praeringes.

Suprema labia, aut nasum manibus
non emunges inter epulandum.

Nasum non absterges, nisi strophilio,
lo, idque ciuilitate & modeste.

Mucum digito non excalpes.

Salino digitos ne indas, neue falli-
mentis & piperatis omnibus.

Buccellas ne nimis densas sumito,
vel amplas, sed singulas conscito
dito.

Ex ore nihil extraxeris in orbem.

Caput inter epulas ne scalpito.

Omnis cachinnus effusus, in conu-
uio turpis est.

Potaturus, duobus digitulis labra su-
prema abstergito.

Non appareat supernatans in pocu-
lo tuo sagimen aut pinguedo.

Sed neque cibum habens in ore, nec-
dum vorato, potabis.

Simul

Studioſa Iuuentutis. 15

Simul & mandere, & loqui, ruſti-
cum.

ſcreare ſimiliter, aut oſcitare, aut
expuere crebrius, inciuiſe ha-
betur.

Agreſte & Ethnicum eſt, in ſupremo
cubito recumbere.

Panem tinctum vino edere ex pocu-
lo in cœtu hominum ridiculum
eſt.

Non recumbas in dorſo ſupinus.

Cochleari quantum ſatis eſt, haurito
& ſorbeto.

Inter ſorbendum nihil diſtilles, ne-
que bis vno hauſtu ſorperis.

Donec manderis & glutueris, ne ſor-
beas iterum.

Caninum eſt irmenſos boles vo-
rare & oſſa rodere.

In oſſibus ſi quid pulpamenti hæret
modèſtè cultro proſcindito.

Alij verò conuiuæ quid præcerpant
vel appoſitum habeant, ne teme-
rè circumſpectaueris.

Quod ſemel dentibus demorſum ac-
roſum, paropſidi ne inferas.

Italica

Italica & Galliensis ciuilitas est, se-
apud Germanos turpis, ostium
eduliorum quisquillas sub mo-
sam deijcere.

Indecens quoque vnguibus, lingua
aut cultro repurgare dentes, sed
agendum id est extra conuiuia.

De his qua post prandium.

Compositis & remotis omnibus, et
que gratijs actis, si quid vacat, lusu
quo piam honeste laxa cum sodali-
libus animum, donec hora reuocet
à lusu in ludum.

Ad lectionem adsis rursus in tem-
pore, totis viribus hoc agens, quod
postulat locus.

De Refectione priuata.

Cibus sit temperatus, ac tempera-
tus.

Prande liberalius.

Cœna parcius.

Cibi vel potus non quantum libi-
dini, sed quantum natura satis est
sime.

Pian-

Præsus hilariter quadam facito.

Sub cœnam paulisper in ambula.

Cœnatus idem facito.

Leuius studebis ac scribes.

De præceptore eligendo, & obedi-
entia illi exhibenda.

Præceptorem tibi eligas quàm eru-
ditissimum.

Neque enim fieri potest, vt is rectè
quenquam erudiat, qui sit ipse in-
eruditus.

Quem simul atque nactus fueris, fac
modis omnibus efficias vt ille pa-
tris in te, tu filij vicissim in illum
induas affectum.

Neque minorem enim honorem
debemus ijs, à quibus rectè vi-
uendi rationem, quàm à quibus
uiuendi initia sumpsimus.

Alioquin credito te frustra litera-
tum præceptorem habiturum, nisi
habueris & amicum.

Deinde vt te illi attentum, & assidu-
um præbeas.

Optima

Optima quæque statim ac primò
disce.

Extremæ est dementiæ, discere debi-
cenda.

Præceptorem interpretantem, non
attentus modò, sed & avidius col-
cultato.

Non contentus impigrè sequi disse-
rentem, aliquoties præuolante
contende.

Omnia illius dicta memoriæ, præci-
pua etiam literis mandabis, fide-
lissimis uocum custodibus.

Noli committere ut codices erudi-
tos habeas, ipse ineruditus.

Audita ne effluant, aut apud te, aut
apud alios retracta.

Diem in horas partire, quibus certa
habeas quæ legas.

Nec his contentus, aliquam tempo-
ris partem tacitæ cogitationi tri-
buere memento.

Consiectatio, & tanquam palastra
ingeniorum, neruos animi præ-
cipuè tum ostendit, tum excitat,
tum adauget.

Noctur-

Nicturnas lucubrationes atque in-
tempestiua studia fugito. Nam &
ingenium extinguunt, & valetu-
dinem vehementer offendunt.

Arctora Musis amica est, apta studijs.

De ratione Studij.

In studijs formandis duo præcipuè
spectanda sunt, primum, quod stu-
diorum genus maximè sectari ve-
lis. Secundum, qua ratione in eo
quod elegeris, plurimum efficias.

De primo: Si facultatum vberior co-
pia & felicior ingenij vis tributa
est, quantum in te est, totis viri-
bus ad optimate conferto.

Artes sic rectè ab infantia discas, si
quod apud probatos autores lege-
ris, id ipsam quam maximè pro-
prijs & idem significantibus ver-
bis reddere vernaculo sermone
coneris: vt quoties dicendum ti-
bi aliquid est, aut scribendum,
quando concipiendis verbis apud
animum tuum, sese, quò natura
fert, vernaculus sermo protulerit,
statim

statim quoque latina verba iam
 pridem illi hoc v[er]u accommoda-
 ta sequantur.

Ad hæc si scribere voles, optimum
 erit id ipsum quàm plenissimè,
 rectissimeque patrio sermone in-
 trā animum tuum formare: deinde
 de latinis purè, proprieque signi-
 ficantibus explicare. sic fiet ut
 omnia apertè & quàm maximè
 planè dicantur. Et alia multa in
 epistola, quam de formando stu-
 dio quidam scripsit elegantissimam.

Quæ signa optima indolis.

Magistris dare operam non assiduam
 modo, sed alacrem.

Doctioribus condiscipulis se adiun-
 gere.

Et quos moribus vel fama obfore
 credat, ab eorum consuetudine
 penitus abstinere.

Nullum cum alijs certamen habere
 nisi de literis, ac de ijs perpetuum.

Facile

Facile percipere quæ traduntur, re-
tinere fideliter, imitari feliciter,
pronunciare eleganter.

Ut caueat ne loquendo præcipitet
sermonem, aut hæret lingua, aut
palato immurmuret, sed distin-
ctè, clarè articulateque singula
verba proferre consuecat.

Ut pudeat ab alijs superari. imò ma-
gis præuolare contendat.

Emendatus non irascatur, laudatus
gaudeat.

Ut studeat ne quid ineptum, immo-
destum, in probum, siue durum in
se appareat.

Ne inuerecunda frons, elatum su-
percilium, licentes oculi, pro-
ternior lingua, siue inconstans
vultus notari possit.

Et non aliquid postremò vel in facie
tota, vel in gestu, vel in incessu
quod offendat, quod molestum
aut odiosum esse possit.

Modus repetenda lectionis.

Quibusdam prima ac vnica ferè cu-
ra est, statim ad verbum ediscere:
quod

quod equidem non probo.
 Est enim tum magni laboris, tum
 fructus probè nullius: Quoniam
 enim attinet, p[er]itaci more verè
 non intellecta reddere? Commo-
 diorem igitur viam accipe.
 Lectionem quidem auditam con-
 nuò relege ità vt vniuersam par-
 tiam altius animo infigas.
 Deinde à calce rursus ad caput redi-
 bis, & singula verba excutere inci-
 pias, ea duntaxat inquirens quæ
 ad grammaticam curam attinent.
 Videlicet, si quod verbum obli-
 ra, aut ancipitis derivationis, in
 heteroclytæ coniugationis, quod
 supinum, quod præteritum faci-
 at, quos habeat maiores, quos me-
 potes, quam constructionem quod
 significet, & huiusmodi nonnulla.
 Hoc vbi egeris, rursus de integro
 percurrito, ea iam potissimum
 inquirens, quæ ad artificium rhe-
 toricum spectant.
 Si quid venustius, si quid elegantius,
 si quid concinnius dictum vide-
 bitur.

bitur, annotabis indice, aut asterisco appposito.

Verborum compositionem inspicias, orationis decora scrutabere. Autoris consilium indagabis, quidque ratione dixerit.

Et quid te delectauerit vehementius, caue praeter casam (quod aiunt) fugias. Fige pedem, ac abs te rationem exige, quare tantoperè sis ea oratione delectatus: cur non ex ceteris quoque parem ceperis voluptatem. Inuenies te acumine aut exornatione aliqua oratoria, aut compositionis harmonia, aut (ne omnia persequar) simili quadam causa commotum fuisse.

Quod si aliquod adagium, si qua sententia, si quod proverbum vetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breuiter, acutè aut alioqui ingeniosè dictum esse videbitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito, ad usum & imitationem.

His

His diligenter curatis, ne pigeat
quarto iterare.

Nam hoc habent eruditorum viro-
rum, summo ingenio, summis vi-
gilijs elucubrata scripta, vt milles
relecta, magis magisque placeant,
semperque admiratori suo nouum
misculum ostendant.

Id quod tibi in tabula tua saepe-
merò, nec sine causa laudata, eue-
nire solet, quod antea non ani-
maduertisses, idem tibi multò
amplius in bonis autoribus eue-
niet.

Releges igitur quarto, ac quae
philosophiam, maximè verò Ethic-
en refert, posse videantur, circum-
spicies, si quod exemplum, quod
moribus accommodari possit.

Quid autem est, de quo non vel ex-
emplum viuendi, vel imago quae-
dam, vel occasio sumi queat?

Nam aliorum pulchrè ac turpiter
factis, quid deceat, quid non, iuxta
videbitur.

Hæc si facies, iam vel edidiceris, quã-
quam aliud egisti.

Tum demum, si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit, aut certè perquam exiguus.

Quid deinde? Restat ut cum studio-
sis congregiaris, tuas annotatio-
nes in medium proferas, vicissim-
que illorum audias: alia laudabis,
alia reprehendes: tua partim de-
fendes, partim castigari permittes.
Postremò, quod in alijs laudasti, tuis
in scriptis imitari conaberis.

Item à lectione subinde surgas, ac te-
cum inambulans, quæ legeris, re-
peras.

*Digestibus in ludis & recreatione
animi.*

Interdum animus laxandus à studio,
remittendusque est.

Id efficitur honestis ludis & laxa-
mentis.

Laxamenta honesta sunt, quæ pueros
decent trochus, pila, globi, agita-
tio corporis, cursus, ludus sphaeræ,
saltus.

B Saltus

Saltus genera sunt, saltus locustarum
vtraque tibia iunctis pedibus, v
nica tibia.

Probatur & palestra, honesta sine
praesentia praceptoris & absque
invidia fiat.

Natandi artis ne spectatorem quic
dem esse oportet nedum actorem.

Præstat & in cantionibus, & instru-
mentis musicalibus ingenium ex-
ercere: quo delectamento nihil cō-
uilius, nihil musis magis accom-
modum.

Ludi prohibiti sunt, alea, tessera,
chartæ, natate in aquis & si quæ
sunt alia huius generis ganeo num
exercitamenta.

Decorant ludū, grauitas, honesta la-
titia viuacitas, vigor animi, ordo,
charitas mutua, ingenue & legiti-
me ludere, virtute non fraude vin-
cere.

Dehonestant ludum, nimia insolē-
tia, clamor, insania, immoderate
& stultæ gesticulationes, nimia
turba, dolus, malus.

In honestis ludis pulchrum est arte
vince-

vincere. Et si quilibet locum suum
paviter tuetur.

Hæc gratiam conciliat quibusdam
magis questus spes.

Leges ludorum hæc sunt, ne quis in-
ter ludendum nativa aut verna-
cula lingua loquatur, sed vel ea
quæ familiaris minus est: inde fiet
ut & ludendo discatur.

longe utilissimū fuerit statuta mer-
cede certatim ex autoribus ali-
quid recitare.

Id fieri curabit diligens præceptor.

*Monitoria in communibus con-
gressibus.*

Quoties alloquitur te quispiam, cui
debes honorem, compone te in
rectum corporis statum.

Aperi caput.

Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec
impudens, nec proteruus, nec in-
stabilis, sed hilari modestia tempe-
ratus: oculi verecundi, semper in-
tenti in eum cui loqueris, iuncti
pedes, quietæ manus.

B 2

Nec

Nec vacilles alternis tibijs, nec
gesticulosa manus.

Nec mordeto labra.

Nec scalpito caput.

Nec fodito aures.

Vestis item ad decorum componatur.

Totus cultus, vultus gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam & verecundam indolem præse-
rat.

Nec vagetur animus interim, sed
attentus quid ille dicat.

Si quid erit respondendum id facito
paucis, & pudenter subinde præfatus honorem: nonnūquam & ab-
dito cognomento honoris gratia.

Atque identidem modice flectas al-
terum genu, præsertim vbi respon-
sum absolueris.

Nec abeas nisi præfatus veniam, aut
ab ipso dimissus.

De vitando prauorum consortio.

Adiuuat & profectum bonæ educa-
tionis, prauorum consortia vitare.

3c.

Studiosa Iuuentutis. 29

De his sic admonet Salomon, Fili
mi si te lactauerint peccatores,
ne acquiescas eii.

Ne delesteris in semitis impiorum.

Nec tibi placeat malorum via.

Et Psalmista, Cum sancto sanctus eris
cum innocente innocens, cum
peruerso peruerteris.

Et Paulus, Corrumunt bonos mo-
res colloquia praua.

Et modicum fermentum totam mas-
sam corrumpit.

*De bonorum Societate am-
bienda.*

Noli tibi libentius verseris, quàm in
conspectu magistrorum.

Doctiores & modestiores condisci-
pulos humanitate tibi & obsequio
deuincito

Nam hoc omnium maxime condu-
cit ad eruditionem, si quis cum
studiosi & eruditis assiduam & do-
mesticam consuetudinem agere
possit.

*De Verecundia adhibenda in
incessu.*

Sunt qui sensim ambulando gressus
imitantur histrionum, & quasi fer-
cula pompae portantium: &
quotiescunque gradum transfe-
runt, modulos quosdam seruare
videntur. horum gressum ut pe-
stem fugito.

Nec cursim nimis ambules, nisi cum
causa exigit alicuius periculi, vel
istae necessitatis: sed nec lente ni-
mis.

Est gressus probabilis, in quo est spe-
cies autoritatis grauitatisque pon-
dus, tranquillitatis vestigium. huc
imitare.

In summa, sit motus purus & sim-
plex.

Nihil fucatum & affectatum placeat
Motum natura informet.

Si quid autem in natura vitij est, in-
dustria emendet.

Ut ars desit, non etiam desit corre-
ctio.

De Pudicitia & castitate.

Verecundia pudicitia proxima est, quæ nunquam tutius retinetur, quam per verecundiam & oculorum industriam: vt intueri impudicè mulieres caueas: non vt execreris sexum, sed vt effugias flagitium.

De vestitu.

In vestitu mediocritas & decentia plurimum commendatur.

Sint igitur vestes nec preciosæ nimis nec nimis sordidæ sed quæ publicam honestatem deceant.

Semper hæreat hoc Ouidianum:
Procul sint à te iuuenes, vt foemina compti.

De Nutritione coma.

De hoc audi statutum Apostoli: Vir si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli ei pro velamine dati sunt.

Vir autem non debet velare caput suum, quoniam est imago, & gloria DEI.

*Monitoria ad civilitatem & re-
victum humanum.*

Principio cum animus obtine, quod
nihil acerbum, nihil durum ex
stimet, quod sit honestum.

Qui nullo vel metu deterritus, vel
ipse captus, ab officio delectatus.

Quam optimos tibi adiungito.

Malos ne lacesito.

Tua ne iactes.

Aliena ne carpas, aut despicias.

Fac, cum omnibus sis anteferendus
ipse te praeferas nemini.

Cum bonis, officijs certa.

Nemini aduerseris.

Nemine adeferto.

Esto comis etiam erga tenuis fortune
nae sodales.

Omnibus te affabilem praebeto.

Domus hilaris.

Fons compositus.

Nemini tua arcana committas me-
mor quam fallax sit multorum
amicitia.

Beneficium confer libenter.

Inuitus accipe,

Gloriam

Gloriam si contemnes, vltro te sequetur: sin sequeris, fugiet sequentem.

De capta laudari, sed fac laudanda. Cum potentibus, aut nulla sit consuetudo, aut comis.

Nullus sumptus tibi sit preciosior tempore.

De Discretione in studijs.

Contentione immodica obruunt ingenia discentium.

Affiduitas verò & mediocritate perdurat, & quotidianis exercitationibus, maiorem opinione acertum accumulatur.

Sollicitate cum omnibus in rebus, tum praecipue in literis nihil est perniciosius.

De reditu post horas pomeridianas ad domum.

Domum reuersus, idem ages quod ante prandium.

De his qua post coenam

à cena suauibus fabulis temere oblecta.

u C

Mon

Mox prosperam noctem parentibus
precatus & familie, nature te com-
fero adnidum.

Illic flexis ante lectum genibus, re-
cum reputa quibus studijs desti-
bi peractus sit.

Si quid est grauioris admissi, CHRIS-
TI clementiam implora, ut ig-
noscat: pollicereque meliora.
nihil est age gratias illius benefi-
centie, quod te seruarit ab omni
vicio.

Deinde toto pectore te illi commen-
dato, ut protegat ab insidijs ma-
genij, & ab obscœnis somnijs.

His factis lectum ingressus, modice
te componito in somnum.

Neque pronus cubueris, neque supi-
nus sed primùm lateri dextro in-
nitens, brachijs ita transuersim
complicatis, ut pectus muniat fi-
gura crucis, dextra manu sinistra
admota humero, laua dextro.

De meditatione in lecto sub re-
quiem nocturnam


Sub somnum exquisiti quippiam
dignam

dignum memoria legito. de eo cogitantem sopor opprimat.


Et ex perrectus à te ipso reposcas.

In summa, Plinianum illud semper animo insideat tuo, Omne tempus perire, quod studio non impertias.


F I N I S.



F
Q
ti
O
Apud
sub









Th
3244